



BIBLIOTECA  
COMUNALE  
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI  
DI TRENTO  
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE  
**CARITRO**  
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

PASSI GIOVANNI GASPARE, *Nova apparitio saluberrimi acidularum fontis in valle Rabbi territorij Tridentini. Celsiss. et reverendiss. d.d. Sigismundo Alphonso ex comitibus de Thunn, episcopo ac principi Tridentino, & Brixinensi domino, domino clementiss. dicata die 18. februariij. 1671. A doctore Christophoro Passio physico, Trento, Carlo Zanetti, 1671.*

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T I-op d 109

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/234>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Misc. T. c. 2701

174



8

BIBLIOTECA COMUNALE  
TRENTO



*ex libris*



K 1961652

D 1961628

Stca

T I-op d 109

958T

SEPARATIO  
SOLIS A MERITIS  
SOLIS A MERITIS  
SOLIS A MERITIS


SEISMUNDO

ALPHONSO

ALPHONSO  
ALPHONSO  
ALPHONSO

ALPHONSO  
ALPHONSO  
ALPHONSO

CHRISTOPHORO PAVO  
PHYSICO.



AMSTELÆDAMI, Apud Joannem  
WILHELMUM, Bibliopolem



NOVA APPARITIO  
Saluberrimi Acidularum Fontis in Valle  
Rabbi territorij Tridentini.

CELSISS. ET REVERENDISS. D. D.

SIGISMUNDO  
ALPHONSO

Ex Comitibus de Thunn, Episcopo ac  
Principi Tridentino, & Brixinensi  
Domino, Domino Clementis.

*Dicata die 18. Februarij. 1671.*

A DOCTORE  
CHRISTOPHORO PASSIO  
PHYSICO.



---

TRIDENTI, Apud Zanettum  
*Cum Privilegio.*


NOVA APARITIONE  
S. MICHAELIS ARCHANGELI IN MONTIBUS  
S. MICHAELIS

SIGISMUNDO

ALPHONSO

La Compañia de N. S. J. de  
S. Francisco de Borja  
Dona, Donas Compañia

CHRISTOPHORO PASTO  
PHYSICO



Printed text at the bottom of the page, possibly a date or publisher information.



Celsissime, ac Reu.<sup>mc</sup> Princeps.

**Q**uandoquidem Omnipotentis gratiæ ac dona vltro etiam, sine precibus int' ralmities Dominiꝝ Celsitudinis Vestræ Reu.<sup>mc</sup> ex intimis terra penetralibus scaturiunt, (admirandæ virtutis Acidularum fontem non multo pridem incundâ ebullitione in medio Vallis Rabbi Celsitudinis Vestræ Iurisdictionis erumpentem intelligo) necesse erat vt illius singularis virtus eidem Celsitudini, tamquam Soli illius à quo prodit, vero Domino ac Patrono primitus ac præceteris innotesceret, indeq; alijs vniuersali commodo, sanantibusque humani corporis morbis patefieret: nec alteri enipiam eadem de causa dicandum erat hoc exigui laboris opusculum: quod vt rudem partum, lucem videre indignum, ab innata singularique Celsitudinis Vestræ Reuer. humanitate ac incomparabili eruditione defensum iri, cum de re proprijs diuinitus superaddita bonis, tractet, & sub eiusdem felicissimis auspicijs perennaturum minimè verendum; nec muneris mei paruitatem, cum maiora non suppetant, Celsitudinem V. aspernatam confido; nam ex Dijs quondam grata fuerent eorum, qui thure carerent, oblata viliora.

Celsitud. Vestræ Reuerendiss.

Humilis. Seruus  
Christoph. Palsius Physicus.

A. 2. Lectori

## LECTORI BENEVOLO.


**N**ovus Acidularum Fons in Valle Rabbiensi aëre frigidus, & magna in copia scaturiens, te illuc sanitatem sitientem inuitat lector humanissime, non solum aridas irrigare fauces, sed morborum quibus hactenus oppressus fuisti sitim penitus extinguere promittens; hic enim Memnonis ille Gladius in templo Æsculapy suspensus, qui rite vibratus Hydrarum capita amputabit, hac hasta ærea calcantibus integros diuersarum ægritudinum exercitus in fugam coniciens, hic ille fons, qui languentia corpora ab Orei faucibus eximens nouo Vita informas exordio. Nec pigeat itineris per accliuia ac declinia processus, cum sanore enim itineratio succedet, dum accedendo baculo inmixtus aut equitando illuc peruenies, redeundo autem pedes celeri cursu, lætæque animo proprios attinges lares, eoque maiori assumendi fontis desiderio flagrabis, cum breui folio de admirandis illius virtutibus faciliq; vtendi modo à me sequentibus tribus discursibus, quorum primus essentiam, & contentum, secundus virtutes, tertius vtendi modum continebit fueris edoctus, vale.

---

### Gratiarum Actio.

**A**quas thermales Antiquitas tamquam rem sacram venerabantur, cum diuino ductu sint constitutæ vt ad salutem mortalium nascantur; extrema enim est in sanandis humani corporis malis aquarum thermalium virtus, adeo vt qui morbi Thermalibus non sanantur vix alterius generis remedio succumbant, vnde merito controuertitur an sub consideratione *Aphor. sexti prima sect. Hipp. extremis morbis extrema remedia* cadere possint Extrema propterea Deo ter opt. max. agendas esse gratias pro tanto beneficio non hæsitandum, eoque maxime cum fontium aquarum thermalium inuentio gratia sit gratis data, nullo hominum labore aut industria parata, vt non immerito, cuique incumbat in hæc verba prorumpere *satis est Domine satis.*

5



# DISCVRSVS PRIMVS.

*In quo acidi Fontis in Valle Rabbiensi nuper  
inuenti essentia, & contenta  
disquiruntur.*

❧

**L**ICET aquæ thermales omnes empiricæ potius quam rationali nitantur cognitioni, vt colligitur ab antiquis, qui in qualibet re tractanda alias diligentissimi, de aquis thermalibus valde tepidè locuti sunt (licet, & ipsi multas haberent) sic Faoppius aquarum thermalium cognitionè sapere Empiricant *cap. 8.* expresse declarat, & repetens *cap. 16.* Thermas medicamentum esse experientia, & casu potius quam ratione inuentum; *Actius lib. 11. cap. 30.* aliquas per analogiam, paucas ratione inuentas, in quem sensum innuit *Petrus Io. Faber lib. 2. hydrograph. spagir. cap. 6.* omnes aquas thermales, quæ miris virtutibus præditæ sunt, non aliunde suas proprietates expiscari, quam ex natura sua, aut ex spiritu mundi.

Cum tamen absurda valde sit talis deductio, nec tanta veretur nostris temporibus in rationis inopia, liceat Empiricæ sequètibz fundamentis rationem addere, & spectemus an Ther-

nae nostrae Vallis Rabbi in rationis theatrum introduci valeat, non negando interim Thermas Empiricam sapere eo modo, quo caetera medicamenta prima sua habuere incunabula. Ex odore enim, & sapore medicamenti, arguitur illius virtus, quibus qualitatibus gaudent Acidulae nostrae, ergo non casu, & experientia tantum, sed & ratione, & fundamentis de illis differere licet, cuius opinionis fuisse omniscium Zacutum Lusitanum colligitur dū *lib. 6. Hist. Princip. hist. 15.* ex diuersis effectibus quos producant aquae thermales, argui materias quibus subterraneis in locis commiscetur, asserere videtur.

Et licet fallax arbitretur esse determinare *Faloppius cap. 9.* quid vnaquaeque aqua contineat, ex sapore tamen praecipue, ac odore argui subiectam aquae materiam rationi videtur magis consonum, cum sapores omnes in aquis mixtionis alicuius sint soboles, ita ut quot sunt metalla, terrae succi, & res quae aquis commiscetur, totidem sint aquarum thermalium differentiae, & ex sapore inuestigari subiectam Mineram refert *Andreas Baccius lib. 2. cap. 4.*

Sed ut ad rem proximius accedamus, cum aquae nostrae aciditatem gustui adeo patentem praefereant ut linguam blanda mordicatione vellicent ac feriant, eandem ex Calcanthi spiritibus in cauernosis terrae latebris sortiri non dubitandum, quandoquidem *Falop. cap. 8.* arbitretur aquas reddi acidas eo quod habeant in se Calcanthum (purissimum) quod de eiusdem spiritibus aquae inditis intelligendum putas, sic *Mindererus lib. de Calcantho cap. 10.* acidulas aquas aciditatem suam a Vitriolo sortiri affirmat, vnde dolendi sunt illi qui ab Aere eandem assumere arbitrantur, plumbeis pugionibus in arenam descendentes. Et quia ex odore etiam aquarum virtutes, & earumdem qualitates innotescunt, nec defunt qui Rabbientes sumpserunt existimantes Sulphur redolere, non immerito inquirendum num praeter Calcantium etiam Sulphur participant; quod quidem negare non ausim, saltem eo modo quo, & ferro, & alijs mineralibus tamquam eorundem ignis ac fundamentum inest; imo inter mineralium tria illa principia, Salem, Sulphur, & Mercurium, primatum obtinere Sulphur conijcitur ex actiuitate insigni qua pollent, licet ex odore

7

dore vix innotescat, cum quotquot illas assumunt, in totas di-  
uerfas abeant sententias, vt ex ructibus quidam Sulphur, quidam  
Vitriolum, alij de odoris nomine in ancipiti versantes, nil aliud  
quam qualitatem Mineralem redolere se explicant.

Nec obijciat aliquis aquas nostras cum aluum soluant, hanc  
facultatem à Sulphure sortiri, cum id non vi solutiua aut cathar-  
tica præstet, sed deterforia dumtaxat, & abluyente, cooperante  
copia, quam ob rem purgationis verbum de Thermis latè su-  
mendium monet *Baccius lib. 2. cap. 13.*

Quare aciditate ac spiritibus ex Calcanthi Minera à prædo-  
minio, & Sulphuris subdominio sic grauidæ Vallis Rabbienfis  
Acidulæ, per Martiales campos excurrentes, eosdem linctu  
desquamando, Tincturam Croco Martis æmulam, quam vide-  
re est fontis parietibus ac lapidibus adhærentem ferreæ Mine-  
ræ subiectæ manifestum indicium, saltitante ebullitione in pro-  
patulum euomunt, extrahendi vi ab aciditate calcantiosa, qua  
iam imbutæ reperiabantur desumpta: cuius rei confirmationem  
eliciamus ex diligenti facta destillatione, mixturarum segrega-  
tione ac euaporatione per ingenuum Dominum Nicolaum de,  
Paolis Pharmaceuticæ artis peritissimum, & destillatorie appri-  
mè expertum; dum ex destillatione Caput mortuum Crocum  
Martis dilutum referens, facta porro reuerberatione adeo tui-  
gatur, vt Crocum Martis arte confectū omni ex parte emuletur.

Ecce tibi Acidularum Rabbienfium essentiam, & conten-  
tum, ex quibus temperamentum eliciendum, vt earum vir-  
tutes elucescant: quod si vnumquodque compositum siue mix-  
tum sequitur naturam illius cui principaliter commiscetur,  
prima fronte asserendum videtur calidas esse debere, & ex-  
siccantes, cum Calcanthum, quo grauidæ reperiuntur cali-  
dum, & siccum quarto ordine statuatur, vt (minus po-  
derata Minerua) annis proximè elapsis de Acidulis supè-  
rioribus Vallis Solis ab aliquibus sancitum fuit. Calcan-  
thum enim, nouus quasi Protheus (cui maris clauis con-  
credita) in rerum naturalium Theatro, quamcumque re-  
presentat personam, illiusque naturam induit cui commi-  
scetur, mixto tamon quicquam propriæ naturæ participans

vnde ratiocinari potest, quod aquæ sui natura intensè frigida, Vitriolo imbutæ aliquid frigiditatis amittant, vt in nostris Rabbiensibus contingit, quibus accedente Sulphuris subdominio alius adimitur frigefactionis gradus; adeo vt nisi obstaret Martis influxus, vix primum ordinem frigiditatis excedere asserendum foret, qui cum non infimum locum in hac mixtione obtineat, vt ex tinctura subiecto solo relicta, & Croco, qui facta reuerberatione in copia elicitur videre est, calorem Vitrioli, & Sulphuris obrundat necesse est.

Accedit, quod cum magna in copia scaturiant, tantum abest, vt tanta aquæ vis à commiscellaneis superetur, quin ipsa (licet eorum influxibus insignita) prædominetur. Ideoque rationabiliter Acidulas nostras secundi ordinis intensè refrigerandi, siccandique primi remissi vi præditas esse asserere licebit, ita vt concurrente naturali aquæ humiditate in contemperanda adscititia Siccitate temperatiores reddantur.

Et quantum ex variorum scriptis colligi potest, natura ac qualitatibus Spadenses Leodiensis Ducatus prorsus imitari, & Ægrensibus in Bohemia, Sale volatili ex ferri, Calcanthi, & Sulphuris Minera prægnantibus, quibus pariter refrigerandi siccandiq; vis tribuitur, non longè ab similes esse videntur.

## DISCVRSVS SECVNDVS

*In quo admiranda Acidularum Vallis Rabbi Virtutes enucleantur.*

**Q**uid Medice hæres, quid explanandis eximijs Acidularum Rabbiensium virtutibus conaris, quid decantandis earum encomijs tempus conteris, quid propaganda earum fama oleus, & operam perdis, numquid omnis lucri cessationem ab illarum fama, & eiusdem incrementum ab earum iactura penderè aduertis, vt obscurare eas præster, & silentio inuoluere fœnus sit importaturum?

Sed quid opus est Medico vt earum virtutes manifestentur?  
quid

quid suspensa hedera indigent vt venales fiant? Sole clariores  
sunt, & sola indigēt experientia, quas Medicorum sermo adum-  
brare nequit. Hic enim Fons Cerberus ille ex tribus composi-  
tus, cuius maganimitas omnes cupiditates, cunctaque ter-  
rena vitia contemnit ac domat hic Hercules ille tot miranda  
præstans vt Hydram in Lerneæ palude opprimens, Eryman-  
theum Aprum interficiens, Centauros domans, Angues à  
Iunone immisos in cunis adhuc vagiens illisurus sit. Nec ta-  
men metuendus hic Hercules, cum ad Omphales Lydorum  
Reginæ amorem illico mitescat, vt ea iubente fusos, & lanas  
pertractet: Calcanthum enim alter Proteus, quamprimum  
Lymphæ in Connubium dicatur adeo mansuescit, vt ab in-  
fantibus securè tractari ac usurpari queat, omni atati, vltimò  
excepto senio ac infantia, congruens.

Sed relictis Poetarum figmentis, & concesso etiam Planetarum  
influxu ac Spiritu Mundi, quo Thermales omnes animari,  
& antiqui, & iuniores admittunt, huncque influxum, *Aristoteles*  
*Entelechiam*, *Hipp. Dinamin*, *Gal. subtilantiam facultatum*, & *vir-*  
*tutum*, alij varijs nominibus indigitant, & quid Diuinum  
Thermalibus inesse omnes concedunt: ex prægressis tamen  
fatis conspiciunt, sumpto etiam argumento à mineralibus,  
quibus Fons noster Vallis Rabbi confunditur, ex sapore aci-  
do, tenui ac penetrante, Martis, & Veneris testari influxum,  
& radios, ac propterea facultate pollere refrigerandi, & le-  
uiter ex siccandi, sicque contemperandis æstuantibus Visce-  
ribus iisdemque corroborandis, reserandisque obstructioni-  
bus non confirmatis eximium fore remedium; penitus enim  
penetrat, aperit, incidit, attenuat, resoluunt, ac ratione Mar-  
tialis influxus summoperè roborat, quodque calido innato ini-  
micum, fugat ac disperdit, Veneris autem radius sanguinis  
renouationem, sterilitatem fugandam, fœcunditatem indu-  
cendam, & membris generationi dicatis vigorem conci-  
liandum respicit. Nec dicat aliquis hæc inuis obire proprium  
esse caloris, cum non implicet ratione diuersarum qualitatum,  
quibus præditæ sunt Acidulæ nostræ, diuersos posse fortiri  
effectus, quemadmodum sub frigido silice ignis reconditur.

Porro

Porro vapores caput petentes reprimat, & consecutiue omnibus capitis affectibus, qui ab eorundem effumatione fouentur, succurrit, vt ab ebrietate vindicet, Cephalalgiam ac Hemicranicum dolorem tollat, nec non Catarrhis acris ac salis subueniat.

Patet insuper ex progressis fontem nostrum putredini sumopere resistere, Lumbricos enecare, obstructions tam Iecoris quam Lienis ac Venarum mesaraicarum non confirmatas reserare. Et licet controuertatur an etiam febribus fugandis Acidulae sint idoneae, quatenus putredini resistunt, refrigerant, potestate exsiccant, & obstructions aperiunt, non verendum illas in ardentibus, & Vngaricis propinare.

Per vasa urinaria fere exitum quaerunt, sicque Gonorrhoeae etiam antiquae ab intemperie viscerum, humorum acrimonia, ac viarum laxitate natalia trahenti auxiliantur; multis etiam ad Secessum delatae tum ratione quantitatis tum detergendi vi, materiae crassae copiam deturbant, & doloribus colicis a causa calida oriundis medentur, vt in Picrocholis contingit.

Cernis an Hercules noster cum Hydra sit dimicaturus, dum tot morborum genera debellare pollicetur? praecipue vero ad hoc acidi fontis dulce certamen prouocatos velim illos, quorum diserasiae Viscerum Duella pariunt, & Illiorum murmura ac rugitus in Medicorum aures continuo intonant, (Hypochondriacos intelligo) quorum querellae ex assumpto fonte, reseratis obstructionibus, & restituto Visceribus naturalibus tono, breui silebant. Nec minori urbanitate ad hoc delectabile Certamen inuitandos, quorum Renes, & caetera vasa urinaria non tam calida intemperie donata, quam etiam arenulis, & calculo onerata existunt, cum illius corrigenda huncque comminuendi, & deturbandi, huius fontis sit insignis prerogatiua, eadem etiam partes vi deterforia qua pollet ab infarctu viscidae materiae liberans.

Sed quod maxime admirari licet in hoc pretioso, & nunquam satis laudato Fonte, id in profligandis affectibus partes nutritioni inseruientes infestantibus conspicuum, & iam experientia comprobatum: cum enim nostrum aliqui sexta Augusti  
clausi

elapsi anni 1670. accesserimus Aquæ scaturiginem, quantita-  
 tem ac qualitatem expioraturi, inter quos quidam lineosi, alij  
 discrasia Viscerum, quidam Ventriculi imbecillitate detenti,  
 vix Acidulas degustare, nedum largiori potu assumere audebāt  
 maximè cum nulla præcessisset totius, aut saltem primarum via-  
 rum expiatio, vt moris est, tandem à socijs animati audacter bi-  
 bentes, non tantum nullum experti sunt Ventriculi incōmodum  
 aut languorem, quin potius excitata insolita appetentia ad pro-  
 ximum Hospitium celeri gressu famem sedaturi reuertebantur,  
 tanta est earum Aquarum in excitanda appetētia, roborandisq;  
 partibus nutritioni seruientibus vis ac energia; quod quidem  
 non raione admixti Sulphuris præstare arbitror, cum id Ven-  
 triculum laxare ac infirmare sit natum, vt optime *Matthiol in lib.*  
*5. Dioscor. cap. 14.* Sed ratione stupicitatis calcanthosæ, & Martia-  
 lis influxus, omnia membra roborare valentis.

Quod si tot virtutibus ac prærogatiuis insignitus est Fons no-  
 ster Rabbienfis, vt tot ac tantos varijs morbis grauatatos solari  
 promittat, numquid etiam miserebitur infelicium Morbo Galli-  
 co infectorum? controuertitur enim inter Doctores an ad Aci-  
 dularum potum admittendi sint: *Baccius quidem lib. 3. cap. 4.* illos  
 duabus potissimum de causis omnino excludit, sicut etiam *Za-  
 nus lib. 2. prax. histor. cap. 1. Falop. cap. 11.* in potu tātum videtur ad-  
 mittere, sed præmissis magnis purgationibus. *Claudinus vero scēt.*  
*1. ad Apendicē* multis conatur rationibus probare Acidulas Gal-  
 licas conuenire, alij in alias abiere sententias: Sed ommissis cō-  
 trouersijs, commiserationem super illos ex parte tantum, non ex  
 toto cadere posse existimo; quatenus enim morbus Gallicus in  
 venefica ac contagiosa radice fundatur, nullum ab Acidulis as-  
 sequentur leuamen, quatenus autem vt plurimum adiunctam  
 habet Viscerum intempericm ac discrasiam (victio prius per pro-  
 pria Alexipharmaca veneno) ab Acidulis solamen percipiet.

Sed maior insurgit quæstio an Fons noster in affectibus Tho-  
 racis, partibus scilicet spiritualibus conducere possit, cum aliqui  
 ratione Sulphuris Acidulas comēdent, alijs ratione Vitrioli re-  
 probentur. *Claudinus loco citato* ob adstrictionem pro suspectis  
 habet, nisi oculi a vi partes spirituales iuuare constet, & *Mindere-*

*rus de fontibus acidis cap. 11. eas omnino reciciens ait hoc autem peculiare fontibus acidis inest quod pulmoniacos, phthificos, & pneumoniacos, itemque empyicos non tollerent, hinc Germanis quasi in proverbium abiit, (der saurbrunnen vuirfft die lunglsictige aus) cui opinioni, multis de causis, quas hic adducere longum foret, acquiescendum cenfeo.*

Quid plura, numquid fons noster morbum Regium tollit, Vomitum adstrictione compefcit, & Viscera oppilata nihilominus strenue penetrat, Iecinorosis præcipue utilis, & quibus bilis infesta aut cholera molesta est? Cumque Iecur certe *Gsl. 11. meth.* semper roborantia desideret, id præstando, & læsam sanguificationem reparando, hydropis rudimentis à causa calida oriundis obuiatur: Vrinæ ardorem, nocturnas pollutiones, & diabeticam passionem refrænât.

Mulieres etiam solari valet, dum earum albos fluores sistit, menses retentos non inueteratos promouet, Vterinis præfocacionibus, & foedis Virginum coloribus incipientibus medetur, cauendo semper frigidam Vteri intemperiem.

Porrò de Acidulis tam Vitriolatis, Sulphureis, quam ferratis, extrinsecus applicitis, multi multa promittere audent, vt quidam Vlcerâ foedâ, Gangrenas ac Lepras emundare posse sibi persuadeant, cuius opinionis est *Faber lib. 2. hydrograph. spagir. cap. 15.* quidam omnibus cutaneis affectibus esse salutare vt *Baccius lib. 3. de cutis vitijs*, Sed quocumque ferratur opinio, Scabiei quidem ac impetigini, lichenis, & psoris fore auxiliares affirmare ausim.

Et ne Acidulis nostris ita deuinctus videar, vt eas cunctis morbis familiares ac proficuas esse asseram, ab earum vsu excludendos putauerim præter recensitos Thoracis affectus, nimium extenuatos, Ventriculi frigida intemperie donatos, nervos refrigeratos, consequenter Articulares morbos in materia frigida radicatâ, quibus Viscera sunt exulcerata, vt in disenterijs contingit, & fortè alios, qui breuitatis causa ommittuntur, vt data occasione peritorum Consilium exposcant.

Et quia in eadem Valle Rabbi reperitur alia Aqua Acidulæ scaturi-

23

featurigo, quæ à prænomînato fonte, spatio circiter miliaris  
italici distans, supra montis pedem ad Orientem exigua qui-  
dem quantitate, sed mitiori mordicatione ac suauiori gustu  
erumpit, facta etiam eiusdem diligenti exploratione, cum  
in omnibus prænarratum fontem imitari, eandemque,  
Minerarum Spiritibus, remissiori tamen gradu insignitam  
esse compertum fuerit, consequenter etiam remissiori polle-  
re vi ad profligandos enumeratos morborum apparatus, quare  
etiam maiori indigere agentis virtute, minoremque requiri re-  
cessum à statu naturali, ut proprias oppugnandis morbis  
exerat vires iudicatum fuit.

---

## DISCURSUS TERTIVS

*In quo tempus, & modus utendi Acidulis Vallis  
Rabbiensis edocetur.*

**A** Deo frequēs est nostris temporibus Aquarū thermalium vsus,  
ut præne unicuique pateat earū utendi modus, maximè si in  
delicijs assumatur, ut Antiquitas cōsueuerat: si verò curadorum  
morborū gratia, (ut plerūq; hodie cōtingit) cū quilibet etiā mini-  
mus error in vtēdi ratione pro maximo sit reputandus, ideo maio-  
ri bibētium cōmodo, ut eadē pagina etiā vtēdi modum præ oculis  
habeant, pauca de eo subnectere operæ pretium duximus.

Positis ergo indicatib⁹ assumēdi Acidulas nostras, ac præmis-  
sa totius expiatione, quā multi consulūt fieri debere ex Minerali-  
lib⁹, ob fortiorē Idiopathiā quā habent Mineralia cū Mineralib⁹  
(sicut & per Vegetabilia; Rhabar: Agar: Senam &c fieri posse nō  
incōueniat.) matutinis horis, ieiunoq; ventriculo omnium voto  
sunt prælibandæ, nec ab vnoquoq; eadem dosi, sed pro corporis  
dispositione, ætate, ac virium robore & tolerantia: Medicamen-  
tū enim in corpus non agit nisi virtus cooperetur, nec aliter fe-  
queretur magna quātitate debili exhibita, quam magno gladio  
in puerili manu apposito. Maiorib⁹ natu propterea incipiendū à li-  
bris quatuor, quinque, aut sex, quotidie augēdo dosim, quo vsq; ad  
sumā peruenierint, quæ statuitur circiter librarū quindecim, vi-  
ginti, aut vigintiquatuor pro corporis dispositione ac stomachi  
toleratiā, magna enim dosi assumi debēt, ut facultate ex pultrice  
irrita:

irritata facilius ac citius excernantur: nec tamen in hac summa do-  
 diu persistendum, ne Patientes in Ventriculi subuersione aut la-  
 borem incidant, sed gradatim retrocedendum imminuendo me-  
 suras, quousque denuo ad minimam, qua coeptum fuerat perue-  
 niatur, hic autem circuitus duodecim aut quindecim dierum  
 curriculo ferè perficitur, cum morbi ratione, & Patientis tole-  
 rantia tempus commensurando.

Quotidiè verò non alternis diebus tantum (vt quidam autu-  
 mant) bibendum, ne interposita mora excretio intercipiatur;  
 nec bis in die, vt alij, ne Viscera, naturalia nimium grauentur,  
 aut prioris assumptæ aquæ reliquæ digestio remoretur aut con-  
 fundatur. Inter proculà autem leuiter obambulandum, vt Vif-  
 cera parum incallescant validius expellant, citra tamen sudo-  
 rem, ne aquæ motus ad contrarium trahatur: imo si intentio fue-  
 rit per Vasa Vrinaria extergere, calcar primo haustuì addere,  
 licebit ex Syr: de limonibus, liquirit hybisco vel capluen: qui-  
 bus non sufficientib<sup>9</sup> transcendendi poterit ad Syr: de s. rad: aut oxi-  
 mel comp: quod etiã de intentione ad aliu ducendi proprio ad-  
 dito vehiculo ex manna, infus: ros: sp. Elefscoph &c. intelligèdũ.

Præsertim vero debilibus aut è lecto surgere non valentibus  
 hoc stimulum addere oportebit, ijsq; vel minori dosi aqua exhi-  
 benda, aut omnino abstinendum, nisi magna vrgente causa, vt in  
 calculi magnis cruciatibus.

Quod si legnius aut nullatenus aqua excernatur, consulatur  
 Medicus, si in propinquo repericdus, eo autè absente, præsto sint  
 clysteres naturam proritantes, aut hydragoga per os exhibita  
 manna, mell: ros: sol: lalapa, (& vbi opus) Elaterium, &c.

Quatuor saltem horarum spatium (licet sex nonnulli putent)  
 à principio assumptæ aquæ ad prandium interponendum, imo  
 non desunt arbitantes, minimè prandendum, nisi tota prius ex-  
 creta assumptæ aquæ copia, quod ex eo inqotescit, cum Vrina  
 denuo citrino tingitur colore, & hypochondria ac Ventriculus  
 nullo restant pòdere grauata; nec tamen adeo in hoc scrupulos è  
 incedendum, cum experientia constet, multos etiam ab assum-  
 pto cibo, addito Visceribus nutritioni dicatis robore, aquæ reli-  
 quas perbellè excernere.

An autem Coena vel Prandium lautius esse debeat, contro-  
 uertitur inter Medicinæ scriptores, sed neq; hoc strictè interpræ-  
 tandum,

tandū, cum quidam in Prandio, alij in Coena melius apperant, ubi & naturæ & consuetudini aliquid tribuendum, modo Cibus sit Euchymus & moderatè ingestus. Nec à Vino abstinentiū, si modestè in prandio ac Coena duntaxat in vsum ducatur: somnus autem omnino à tempore assumptæ aque, vsque ad duas circiter horas post coenam interdicendus.

Sed pulchra exurgit hic quæstio, an Acidulæ nostræ cum Cibus aut Vino cōmiscēda, quæ vsū video ante hac conuictib<sup>9</sup> oculis prætermisū, in abusū trāsisse, cū obseruauerim multos in Athesino tractu Acidulas tā Prutzēses quā Vallis Solis superiores cū vino commiscere, nō aduertētes medicamētū, & Alimētū esse oppositā rationē, aut enim in corpore corrūpātur, & in prauū succū cōuertātur necesse est, aut mineralis qualitatis impræssio in Venis relinquatur, sicq; loco speratæ sanitatis aliqua oboriatur humorū ebullitio, Viscerū inflāmatio, aut vitii aliud perniciosū; in quæ scsū intelligēda est. Hipp. Cēsura, lib. de Aere, Aquis & locis. Et quia maioris cōmodi gratia quidā thermales Aquas, è lōg inquis partib<sup>9</sup> trāsferri curāt, idē beneficiū ex assūptis inter domesticos parietes, ac ex ipso Fōte reportaturos sibi persuadētes; cōsultum vnicuiq; Acidulas nostras libaturo vellē, vt ad fōtē ipsū se cōferret, quoniā præterquā q̄ (dulcius ex ipso fōte bibūtur aque, vt antiquatū fert Adagiū) vel me tacēte patet quod nulla Bālnei aqua eodē successu ac laude vel beneficio bibitur lōgè exportata, quo ad fōtē propriū, fieri enim nequit, quin amittat cū calore suo minerali viuificos illos spiritus, in quibus speciali Solis ac Stellarū virtute vt plurimum omnis iuuamenti vis consistit.

Deniq; pro coronide de tēpore bibēdi Acidulas differēdū, cū quidā calido, alij calidissimo, nullo habito respectu ad Hip. Aph. 5. sect. 3. bibēdas putēt, quod etiā cū nostris faciēdū cēleo, cū illæ in Valle sat frigida reperiātur, vt minimè verēdū sit eas tempore calidissimo etiā sub ipso Cane in vsū ducere, corpora namq; sub Cœlo frigidiori nō ita lāguēt, vt per dictū Aphorismū supponitur ab Hippocrate, & tēpus vtendi Thermis pœnes Regiones est cōpēsādū, nō negādo tamē illas etiā Autumnū principio, & Veris fine, minori tamē fortalsè cū fructu assumi posse, hieme autē omnino abstinentiū, cū raras inueniri sit Thermales, quæ per hiemem imbribus diluta, salutes non amittant vires.

Nec inutile erit præmonere an ab Acidulis nostris anno Bis-

fextili,


fextili, & tēpore gralsātis Pestis, aut Terræmotus abstinēdū. de  
 primo quidē nil vereor, cū potius Plebeculæ quā Medicorū aut  
 Astronomorū sit opinio, quod Vegetabilia & Aquæ Thermales  
 à Cōstellationib<sup>9</sup> anno Bissextili labē aliquā aut inquinamētum  
 fuscipere possint, cū stas singulis quatuor annis nō affatim idem  
 redeat Stellarū cōcurfus & Situs. Sed de secūdo magis timēdū  
 propter Aeris infectionē & cōcepta in terrestrib<sup>9</sup> vitia, ( siquidē  
 ab Aeris infectione Pestis oriatur) quæ Aquas inficere valēt, vt  
 monet Falop. cap. 11. Quēadmodū etiā de tertio, ex flatū enim sub  
 terraneorū multitudine ac cōmōtione, aquarū trāscursus repleri  
 & suffocari possūt, vt aquę inde sūmoperē cōtaminētur, maximē  
 si propē scaturiginē aut interuicinia Regionis Terræmotus se pā  
 dat. Sic etiā in pluuiarū multitudine, maximē si Veris tēpore cō  
 tingāt, impossibile est, quin fontis naturā & qualitates alterēt; q.  
 etiā obseruādū tēpore quo Aquæ bibūtur, & magnis ingruētib<sup>9</sup>  
 Pluiijs potius à potatione aliquādiu superfedēdū. Multa alia re  
 starēt de motu lunari, syderū aspēctib<sup>9</sup> & Planetarū coniunctio  
 nibus adnotanda, quæ in aquas Thermales influere valent, &  
 eas alterare, de quib<sup>9</sup> consulantur Astronomi.


## INSTRVCTIO AD LECTOREM

*Extraneum de Vallis Rabbi situ, distantia ac commoditatibus.*

**N**illi dubium quin multi ab eximijs Acidularum Vallis Rabbi virtutibus allecti,  
 etiam remotas Regionis partes incolentes, sumo illis ponendi desiderio ardent  
 sitis, sed forsitan terrebit supposita loci distantia, aut exoticum Vallis nomen, vt in Ara  
 bia partibus reperiri arbitrentur, quod longē ab ter se habet (nisi quis Arabiam felicē  
 ratione admirabilis Acidularū Doni, quo ab infinita Dei Clementia exornatur, cogno  
 mēto appellare velit.) Vita est enim Vallis Rabbi in Valle Solis Temitorij Tridētij  
 ad septentrionē vergens, ab Vrbe ad Acidulæ scaturiginē trigintasex tantū milliarijs  
 italicis interpositis, quæ itinere tempore vna die perfici possunt, Bullano autem ex  
 citeter distat milia tribus.

Vallis est quæ idē quo ad fundū & planitiē satis angusta, sed verticem versus in parte  
 dextra, agrorū præteriq; amœnitate conspicua, bina quadrantis horæ spatio à Fonte  
 aditum hospitiæ, & mulæ aliarū res aditum tempore sat cōmodo habebides: b' dē cre  
 dū. à Templum nouiter instauratum, & proximē canonem res sit Sacendas, vt si  
 gulis diebus sacro quis interesse possit, cum à prænotato Fonte tantū per horæ qua  
 drantem cūmenulum distet. Cū gradens Vallis vitans etiā tempore, fit Vinulorum adu  
 rum abortumq; aduiciniorum vāle ferax, imo etiā volanita siluestria in copia  
 eriat, non est quod aduena de victu comparando sit valde sollicitus; & si equos aut  
 alia bestia sectam habueris moderato pretio eodem in loco facile alere poteris.







Biblioteca  
Comunale

T  
I-OP  
d  
109

TRENTO

6

NOVA APPARITIO  
Saluberrimi Acidularum Fontis in Valle  
Rabbi territorij Tridentini.

CELSISS. ET REVERENDISS. D. D.

ANDO  
SO

Episcopo ac  
Brixinensi  
mentis.

1671.

PASSIO  
O.



TRIDENTI, Apud Zanettum  
*Cum Privilegio.*